



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,  
Sev Svplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis  
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac  
publicis Ecclesiae de causis in ...**

**Coloniae Agrippinae, 1640**

Preces ad repellendam tempestatem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9480**

flagella tuæ iracundiaæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

## O R A T I O.

**A**D te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut qui iustè pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus.

## O R A T I O.

**Q**Væsumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, vt inundantiam coérceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris. Per Dominum nostrum I E S U M Christum filium tuum, &c.

## PRECES AD REPEL- lendam tempestatem.

**P**ulsantur campanæ, & qui adesse pos-  
sunt, in Ecclesiam conuocatis, dicuntur  
Litaniæ ordinariæ, in quibus bis dici-  
tur: A fulgure & tempestate, & post Li-  
tanias, Orationemq; Dominicam.

Psal-

## Psalms 147.

**L**AUDA IERUSALEM DOMINUM: LAUDA  
DEUM TUUM SION.

Quoniam confortauit feras porta-  
rum tuarum: benedixit filijs tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adi-  
pe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ:  
velociter currit sermo eius.

Qui dat niuem sicut lanam: nebu-  
lam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum tuam sicut buc-  
cellas: ante faciem frigoris eius quis  
sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefa-  
ciet ea: flabit spiritus eius, & fluent  
aquaæ.

Qui annuntiat verbum suum Ia-  
cob: iusticias & iudicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: &  
iudicia sua non manifestauit eis.

Gloria Patri.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine  
Domini. Resp. Qui fecit cœlum & ter-  
ram. vers. Ostende nobis Domine mi-  
sericordiam tuam. Resp. Et salutare tuū  
da

da nobis. *vers.* Aduua nos Deus salutaris noster. *Resp.* Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.

*Vers.* Nihil proficiat inimicus in nobis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. *vers.* Fiat misericordia tua Domine super nos. *Resp.* Quemadmodum sperauimus in te. *vers.* Saluu fac populum tuum Domine. *Resp.* Et benedic hereditati tuae, *vers.* Non priuabis bonis eos, qui ambulant in innocentia. *Resp.* Domine Deus virtutum, beatus homo qui sperat in te. *vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*      O R A T I O.

**D**EVS, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuae iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte.

O R A T I O.

**A**Domine tua, quæsumus Domine, spirituales nequitiæ repellantur, & ae-

& aerearum discedat malignitas tempestatum.

## ORATIO.

**O**Mnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus; ut post noxios ignes nubium, & vim procellarum, in misericordiam transeat laudis comminatio tempestatum.

## ORATIO.

**D**omine I E s v , qui imperasti ventis & mari, & facta fuit tranquillitas magna, exaudi preces familiæ tuæ, & præsta; ut hoc signo sanctæ Crucis & omnis discedat sauitia tempestatū.

## ORATIO.

**O**Mnipotens & misericors Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conseruas: præsta supplicibus tuis; ut & tranquillitatibus optatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper utamur. Per Dominum nostrum I E S V M Christum filium tuum, &c.

*Aspergatur aqua benedicta.*

C 5

PRE